

obitum quondam Presbiteri Manfredi Guastallæ olim Rectoris ad præsentationem Parochianorum prædictorum Ecclesiæ sancti Andreae prædictæ. Visis prius, & diligenter examinatis instrumentis, juribus partium prædictarum potissimæ partis dictorum fratrum videlicet primo quadam sententia lata inter quondam Præpositum dictæ Ecclesiæ S. Martini ex una parte, & quondam Præpositum Mortariensem ex parte altera per quondam Dominum Episcopum Taurinensem, & Archiepiscopum Mediolanensem de foris signata litera C. Item alia sententia confirmationis dictæ sententiæ factæ, ut dicitur ex commissione Apostolica per quondam Rev. Patres D. D. Archiepiscopum Januensem, & Episcopum Derthonensem, signatur de foris litera B. Item & alia sententia lata super reedificatione dictæ Ecclesiæ S. Andreae per quondam D. Archiepiscopum Mediolanensem, signatur de foris litera D. Item etiam super reedificatione dictæ Ecclesiæ S. Andreae viso Apostolico rescripto signato de foris litera F. Item etiam viso uno instrumento, de foris signatur litera G. Et etiam visis dictæ partis Parochianorum instrumentis, primo videlicet duobus instrumentis præsentationis factæ de Jacobino Cermelli per D. Henricum Cermellum, 2. per D. Gulielmum Cermellum ad Clericatum, & Rectoriam dictæ Ecclesiæ S. Andreae D. fratri Jacobo fratrum Eremitanorum Priori dictæ Ecclesiæ S. Martini, qui Prior eundem Jacobinum in Rectorem ipsius Ecclesiæ S. Andreae confirmavit in millesimo biscentesimo octuagesimo secundo, die lunæ XXVII. mensis aprilis. Item aliis duobus instrumentis præsentationis, & confirmationis factarum de dicto Presbitero Manfredo per Dominum Fr. Paganum Bogerium Priorem dictæ Ecclesiæ S. Martini factam millesimo trecentesimo secundo. Item alio instrumento actorum cujusdam quæstionis super institutione Rectoris dictæ Ecclesiæ S. Andreae scripto in millesimo biscentesimo vigesimoprimo. Item etiam dictæ partis allegationibus per eum super hoc factis. Quibus instrumentis, & juribus diligenter examinatis, & super eis matura deliberatione præhabita, Deum habens præ oculis, Christi nomine invocato tale est, quia dico, & consulo præsentationem Rectoris futuri fiendam ad Rectoriam dictæ Ecclesiæ S. Andreae nunc, & in futurum ad prædictos Laicos patronos pertinere, sic eos jus patronatus præsentandi Dominum Rectorem Priori dictæ Ecclesiæ S. Martini per eandem dictam præsentationem admittendam, & confirmandam præscripsisse, cum constet per instrumenta prædicta pro parte dictorum Laicorum, ac allegatione exhibita, eos stetisse in pacifica possessione, & quasi juris præsentandi ipsum Rectorem Domino Priori prædicto spatio quadraginta, & quinquaginta annorum, & ultra, propter quod pervenerunt de jure ad præscriptionem prædictam. Quæ prædicta potissime dico, & consulo per ea, quæ leguntur, & notantur extra de causa possessionis, & proprietatis cap. *cum Ecclesia*, extra de præscriptionibus cap. *accedentes*, & juris patronatus cap. *consultationibus*, cum eorum similibus tam per glossatorem, quam alios ibi notantur hoc allegantes. Non obstant prædicta in contrarium pro parte D. D. Prioris, & fratrum producta, præsertim

sententia D. D. Episcopi Taurinensis, & Archiepiscopi Mediolanensis; cum inter alios sententia lata videatur, & sententia inter alios lata aliis non præjudicat, ut extr. de fide instrumentorum cap. *Inter dilectos*: nec non sententia confirmationis dictæ sententiæ factæ per Dominos D. D. Archiepiscopum Januensem, & Episcopum Derthonensem potissime dictæ sententiæ non obstant, quum non fuerit observata per Dominos Priorem, & Fratres, sed verius contra eas factum, & ventum fuit per Priorem, & Fratres dictæ Ecclesiæ S. Martini confirmando præsentatos prædictos ad dictam Ecclesiam S. Andreae per Parochianos, & Patronos Ecclesiæ ejusdem S. Andreae, propter quod videntur recessisse a dictis sententiis, & eis renunciasse, tantum etiam ex unico actu in contra eas faciendo, quod probatur extr. de constitutionibus, cap. *Cum accessissent*, cum ejus similibus ibi notatis. Extr. C. *ex parte*, & extr. de præbendis, cap. *Pro illorum*, & exempla de his, quæ sunt a maiori parte capituli, cap. *Ex ore*, cum eorum similibus, ac etiam non obstant dictæ sententiæ, quia non constat de prædictorum D. D. Archiepiscopi Januensis, & Episcoporum Derthonensis, & Taurinensis, ac etiam Archiepiscopi Mediolanensis præmissionibus, & commissionibus, prout debet constare de ipsis, vel ipsorum tenor in ipsis contineri ad hoc, ut sententiæ ipsæ valeant, seu valerent, quod probatur per ea, quæ leguntur, & notantur extr. de officio Judicis Delegati, cap. *Cum in jure*, sic per consequens non obstat sententia confirmationis D. Mediolanensis Archiepiscopi superscripti, & Apostolicum rescriptum prædictum, cum sint accessoria iisdem sententiis, ut extr. de fide instrumentorum, cap. *Inter dilectos*, & *Cum igitur*, cum ejus similibus ibi notatis, & supradictis sententiis non obstantibus. Probatur præsertim rationibus, & juribus prædictis, dictum meum consilium esse verum, & de jure procedere.

Quo consilio sic lecto, & publicato suo valore sine intervallo aliquo D. Frater Anselmus compromissarius arbiter, & arbitrator, ut in compromisso prædicto definiendo, sententiando, & declarando in his scriptis sequentem tenorem dicti consilii, & prout in ipso consilio continetur, sic sententiavit, definivit, & arbitratus est in causa prædicta auctoritate sibi concessa a dictis partibus ibi præsentibus, & ut supra pronunciando, & arbitrando, non divertens a dicto consilio, & præcipiendo ipsis partibus omnia, & singula supradicta scripta, & sententias, & arbitrata ex tenore consilii supradicti veri, & consoni sacris canonibus deberi attendi, & observari per quamlibet partium prædictarum sub pœna in compromisso apposita, & numquam contrafacere, vel venire modo aliquo, causa, vel forma sub pœna prædicta, qua soluta, vel non, nihilominus prædicta omnia, & singula cum sint consona, de jure habeant perpetuo roboris firmitatem, quæ pœna si aliqua partium prædictarum contravenerit, vel fecerit, perveniat, & solvi debeat a parte non attendente in partem attendentem, ut in compromisso plenius continetur; & de prædictis omnibus, & singulis D. Frater Anselmus